bonus, magnae justitiae, et veritatis. Iste
fuit Monachus in Monasterio S. Bartoli
prope Ferrariam de vili satis gentius
progenie, deinde postmodum Abbas S.
Cypriani de Torcello prope Venetias, post-
modum assumptus in Episcopum Torcel-
lanum, deinde in Archiepiscopum Raven-
natem electus, et consecratus tempore
Urbani V. Iste ut audivi, de quadam
arca saxea, quae est prope campanile
Ecclesiae S. Johannis Baptistae in ingres-
su Ecclesiae ad manum sinistram extrahi
fecit quaedam ossa mortuorum, quae
vulgo Reliquiae Sanctorum putabantur,
et quia in jam dicta arca scriptura
reperta non fuerat, quendam ejus
compatrem nomine Johannem de Por-
cellinis defunctum intus poni fecit. Post
quae omni nocte in dicta Ecclesia ru-
mores maximi, et clamores auditi sunt,
et, ut fertur, imago diaboli, prout de-
pingitur a quadam Moniali Virginu-
la, quae saepius Ecclesias visitabat, plu-
ribus, et diversis vicibus desuper jam di-
ctam arcam visa est; itaut necessario